

NATALIS COMITIS
MYTHOLOGIAE,
SIVE EXPLICATIONVM FABVLARVM
LIBRI DECEM.

IN QVIBVS OMNIA PROPE
Naturalis & Moralis philosophiæ dogmata sub anti-
quorum fabulis contenta fuisse
Demonstratur.


CVM LOCVT PLETISSIMIS INDICIBVS
eorum scriptorum, qui in his libris citantur, rerumque
notabilium, & multorum nominum
ad fabulas pertinentium
explicationibus.

OPVS NON TANTVM HVMANARVM,
sed etiam sacrarum literarum & Philosophia studiosis
perutile, ac propè necessarium.

CVM PRIVILEGIO.

De la libreria
Aplicado al apos.^{to}
el duero.

de la long. de puy



V E N E T I I S
M D L X V I I I .

COLLEGIUM IESV S.A.M. EX DONO REGVM.



S E R E N I S S I M O
 A T Q V E C H R I S T I A N I S S I M O
 C A R O L O G A L L I A R V M

Regi.

Inuictissimo.



CONSIDERAUI diutius mecum
 Serenis. atque opt. Carole Rex,
 qui nam foret è Christianis princi-
 pibus, qui doctorum hominum in-
 genijs hoc tempore, disciplinarumq;
 cognitioni faueret. Inter has meas
 cogitationes Ferdinandum felicitis
 memoriæ optimum Rom. Impe-
 ratorem naturæ concessisse occur-
 rebat, cuius benignitatem expertus
 essem: Imperatorem verò Sapien-
 tiss. Maximilianum & ipsum optimè de me meritum ita esse belli-
 cis rebus implicatum, ut ad leuiora negotia non liceat oculos de-
 flectere, cum hostes semper habeat finitimos. Ex altera parte tan-
 tus Valensæ familiæ splendor, tanta, tamque illustris humanitas &
 virtus, tot clarissima per omnes ætates lumina sese offerebant,

4

NATALIS COMITIS
MYTHOLOGIAE,

LIBER PRIMVS.

Quod sit totius operis argumentum. Cap. I.



VM TANTAM esse perspicio cognitionis antiquarum fabularum utilitatem Sereniss. atq; Optime CAROLE Rex quas poeta, ueteresque sapientes suis scriptis inseruerunt; quantam nullo orationis genere complecti possem; admirabile quiddam profecto mihi uideri solet, cur nullus ex antiquis scriptoribus ad hanc usque diem uniuersam insignium fabularum explanationem susceperit. Atque id eo magis; quod in uersa philosophiae praecepta sub his ipsis fabulis antiquitus continebantur: quippe cum non ita multis annis ante Aristotelis, & Platonis, & ceterorum philosophorum tempora, omnia philosophiae dogmata non aperte, sed obscure sub quibusdam integumentis traderentur. Graeci enim cum occultam philosophandi rationem ab Aegyptiis in patriam adduxissent, ne res admirabiles in uulgus ederentur, quod illis male perceptis ab religione, & ab omni probitate plerumque id facile desinat; & ipsi per fabulas philosophari clam ceperunt. Deinde cum sequentibus temporibus res fuisset denudata, omnisque recta philosophandi ratio ex his in lucem edueta, pauci fabulas, antiquum philosophiae domicilium, ut ita dicam, respexerunt: easque modo uanam theologiam stultorum hominum, modo aniles nugas, futiliaque mendacium poetarum figmenta fuisse crediderunt. Haec una res fuit, ut ego quidem sentio, ignoratio fabularum artificum scilicet, cur nemo postea fabulas has explicandas susceperit: aut si quis non nullas explicauerit, eam tantum declarationem attigerit, quae pertinebat ad exteriorem corticem fabularum, hoc est ad simplicem & omnibus obuiam explanationem. Qui uero altissima & occultissima fabularum secreta denudauerit, qui philosophiae dogmata ex obscuris fabularum tenebris in lucem eduxerit, aut ad uires actionesque naturae patefaciendas pertinentia, aut ad mores informandos, utriusque recte instituendam, aut ad uires motusque astrorum intelligendos,

